HINCMARUS REMENSIS. BEDA VENERABILIS. WALAFRIDUS STRABO. ISO SANGALLENSIS. BEDA VENERABILIS. HERMANNUS CONTRACTUS. HIERONYMUS

Mitte 12. Jh. Seite 24r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36571
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

terrenam derelinquens hereditatem. accepit eternam. quia oliua fructi
fera per lucida misericordie opera extitit in domo uidelicet ecclesia dei
unde sperauit iure in misericordia dei sic uetaciter dicens. Fuerunt michi
lacrime mee panes die ac nocte. quia sicut corpus saciatur de pane.
ita de lacrimis reficitur anima. quoniam exinde sperat remissionem pec
catorum habere. Dies uero et nox pro seculi diuersitate ponuntur. quia si in
prosperis rebus siue in aduersis desiderii sui lacrimas dominum desiderans
anima fundit. sciens scriptum. Vanum est uobis ante lucem surgere. sur
gite postquam sederitis qui manducatis panem doloris. ante lucem
quippe surgere est. prius quam claritas eterne retributionis appareat
in presentis uite nocte gaudere. Sedendum ergo prius est ut post recte
surgamus. quia quisquis nunc se sponte humiliat. hunc sequens
gloria exaltat. Manducat autem panem doloris. quia gemit in hac pe
regrinatione. et celestis desiderio ad eternam anhelat patriam.
Condito siquidem testamento cuius textum ad exemplum temporum nostri uel
futuri temporis qui illud legere uoluerint. huic opusculo subiun
gere utile duximus. ut dispositis omnibus suis quia ut scriptum est. uerus
agricola omnem uitis uere palmitem fructum ferentem purgat ut fruc
tum plus afferat. oculorum corporalium lumine aliquamdiu est priuatus.
quatenus mentis oculos interius que superna sunt ad que toto deside
rio anhelabat contemplari ualeret. Is autem studebat in sue probatio
nis temptatione semper gratias agere. ymnis dei et laudibus diebus ac noc
tibus uacare. fideli mente intellegens. quoniam qui humiliter flagella
suscipiunt. post flagella sublimantur ad requiem suscipiuntur. Quod
et in eo dominus in presenti uolens ostendere quasi pignus eterne lucis an
te quam decederet uisum ei restituit. Unde sicut et de amissione lu
minis nomen domini benedixit. Et non post longum spacium sci
ens adesse diem sui transitus. per missarum celebrationem ac sacre com
munionis largitione uale faciens. et dans pacem suis. postquam per